



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

I. Disputatur de Zacharia,

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

DE PROPHETIA ZACHARIE.

I. *Disputatur de Zacharia, II. deque ejus avo Addone, III. & patre Barachia, IV. Probatum Prophetia Zacharie*
γεναιος εσ' antiquitas.

*Disputatur
de Zacharia,
Agg. 1. 1.*

*Cyrril. Pref.
Comment. in
Zach.
Dorotheo. de vit.
Prop.
Epiph. De vit.
Prop.*

I. **S**EQUITUR Zacharias, parentum ipse suorum & ætatis index, se quippe Deo afflatum fuisse anno secundo Darii, octavo mense, duobus nempe mensibus post Aggeum, quem mense sexto ejusdem anni vaticinatum esse Scriptura sancta nos docet, filium vero Barachia, filii Addo declarat. Levitica tribu ortum, Sacerdotibus prognatum, & Hierosolymæ. Licet dotio fundum fuisse producat Cyrillus & Pseudo-Dorotheus. Jam grandem natu Hierosolymam Babylone revenisse, plurimisque predictionibus ac prædigijs editis, utrobique inclausisse, à supposito Epiphonio, eodemque ipsius testatore Dorotheo tractum est. In sepulcro vero ipsius assignando à duce suo discedit Dorotheus. Ille enim prope Aggeum fuisse sepulcrum narrat, Hierosolymis videlicet, ut diximus: Dorotheus ab Eleutheropoli stadiis quadraginta, in agro Noëman, cui nomen Bethania, centum ac quinquaginta stadiis Hierosolyma distito. Verum cum subiciat hunc fuisse Zachariam Barachia filium, cujus meminit Isaias, videtur Zachariam illum cum nostro hoc confudisse, quos tamen diversos fuisse ratio temporum demonstrat, & nos mox ostendimus. Supra notavimus Rabbiorum quorundam esse sententiam, inter Synagoga magnæ *μεγαλης* lectum cum fuisse, perinde ut Aggeum, cum quo plurima ipsi fuere communia. Ea jam tametsi observasse satis esto. Nec de ætate, quæ æqualis utrique sub Dario Hytaspida fuit, verbum amplius addam. Tantum Lectorem commonefaciam, valde Cyrillum suam fecidisse memoriam, cum Zachariam Sophoniæ coævum finxit, quem Josia temporibus floruisse nulli dubium est. Sed sancto ac erudito viro gratificantes credamus potius mendam infedisse ipsius codices, & nomini Aggai Sophoniæ nomen subrepsisse, ac illud sedibus tandem suis extrusisse.

*deque ejus
avo Addone,
1. Esai. 1. 1.*

*Cyrril. Pref.
Comment. in
Zach.*

Matth. 1. 1.

II. Nunc vero dubitationibus aliquot occurrere decet, quæ circa Zachariæ parentes oriri possunt. Nam primum videndum est, quid sit, cur cum se dicat *filium Barachia, filii Addo*, initio Prophetiæ suæ, in libro tamen Esdræ filius Addo appelletur. Interpretes Septuaginta Zachariam Barachia & Addo filium statuunt his verbis: *εξερχεται τινος ονομαζομενου, υιου αδδου τ' αεσαχιας*. Hieronymus quoque in interpretatione sua ad Ebraicum excelsa: *Ad Zachariam filium Barachia, filium Addo Prophetam*: quam lectionem & in expositione sua sequitur: cum Vulgata tamen habeat, *filii Addo*. Atque hinc quæstionem movet, neque solvit, *cum sit filius Barachia, quare dicatur filius Addo*. Existimat Cyrillus natura filium fuisse Barachia, institutione vero & imitatione Addonis Prophetæ. At exemplis fidem facere debuerat, quæ nusquam extant. Credibilius esset natura alterius filium fuisse, alterius Lege, altero nimirum sine liberis mortuo, alterum agnatum ad Mosaicæ Legis præscriptum vidua ducta, Zachariam in defuncti agnati nomen & familiam genuisse. Sed malumus in recentiorum Interpretum sententiam concedere, qui Barachiam Zachariæ patrem, Addonem avum ponunt, filium vero Addonis dici apud Esdræ, quod generali filiorum nomine nepotes ab Ebraicis appellari soleant. Testis: unus pro omnibus Matthæus: *Liber generationis Iesu Christi, filii David, filii Abraham*. Ebraicum exemplar libri Zachariæ utramque admittit interpretationem, *Filium Barachia, filii Addo*; & *Filium Barachia, filium Addo*. Atque hinc dubitationis origo. Minime vero ferendas est Hieronymus, cum Addonem hunc Zachariæ avum, cum ipsi esse sine hæsitatione pronuntiat, qui ad Jeroboamum in Bethel sacrificantem missus, futuram aræ demolitionem prædixit. Utcumque enim rationem subdlexeris, non efficies, ut avum inter & nepotem intercedere possint quadringenti & quinquaginta anni, quos intervallo Darii Hytaspides Jeroboamo Nabati filio recentior fuit.

& patre Barachia.

III. Quærendum præterea, idemne sit Zacharias hic noster Barachia filius, an Zacharias alter Barachia itidem filius, cujus capite octavo Isaias meminit. Id ne credamus, facit diuturnitas temporis, quæ Achazum regem Juda, ad cujus ætatem pertinet hoc Isaiæ caput, à Dario Hytaspida dirimit: anni enim interjacent plusquam ducenti. Is præterea quem Vulgata Isaiæ editio Barachia filium facit, Jebarechia filius fuit juxta Ebraicos Codices, *בן יברכיה*: cum Prophetæ noster dicatur *בן ברכיה*, *filius*